



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &  
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica Nona Post Trinitatis, Evangelivm, Luc. VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

POST TRINITATIS. 55.

*se rapuit imperia. Talia peccata, quæ sunt præ-  
textu doctrinæ, etiam sunt peculiare notæ malè  
spiritus.*

DOMINICA NONA  
POST TRINITATIS,  
EVANGELIUM,  
Luc. VI.

**D**icebat autem & ad discipulos  
suos: Homo quidam erat diues,  
qui habebat dispensatorem, & hic diffama-  
tus est apud illum, quasi dissipasset  
bona illius. Et uocauit illum, & ait illi:  
Quid hoc audio de te? Redde ratio-  
nem uillicationis tuæ, ultra enim non  
poteris dispensare. Ait autem di-  
pensator intra se: Quid faciam, quia  
dominus meus aufert a me dispen-  
sationem? Fodere non ualeo, mendi-  
care erubesco, Scio, quid faciam, ut  
cum amotus fuero a dispensatione,  
recipiant me in domos suas.

Et conuo



## DOMINICA NONA

Et conuocatis singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum Batos olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & sedens cito, scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu uero quantum debes? Ille autem ait: Centum Coros tritici. Et ait illi: Accipe cautionem tuam, & scribe octoginta. Et laudauit Dominus dispensatorem iniusticie, quod prudenter fecisset, quia filij huius seculi prudentiores filijs lucis, in generatione sua sunt. Et ego dico uobis: Facite uobis amicos de mammona iniusticie, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula.

### QUINQUE SVNT precipui loci.

- I. *Reprehensio negligentie rerum æternarum, & impie securitatis, cum sit mirifica sollicitudo & diligentia querendi corporalia.*
- II. *Mandatum de bono usu diuitiarum.*

*Iubet*



## POST TRINITATIS. 56.

- III. Iubet ne de iniuste partis dare eleemosy-  
nas? Aut si de iuste partis danda sunt, cur hæ-  
uocantur iniuste. mammon iniustus.
- IIII. De præmijs boni usus diuitiarum, que  
significat cum inquit: Recipient uos in æter-  
na tabernacula.
- V. Collatio donorum, & usus. Bonus usus  
meretur maiora dona, sicut aliàs dicitur: Hæ-  
benti dabitur. Abusus meretur pœnas iuxta  
illud: A non habente, etiam id, quod habet, au-  
feretur.

### DE PRIMO.

**Q**uotidiana omnium experientia testa-  
tur, quàm uehementer angantur ani-  
mi cura uictus, quanta incurrant ho-  
mines certamina de suis commoditatibus, cum sit  
simplex uia proposita, labor & inuocatio Dei.  
Sed multi eos labores, quibus essent idonei, negli-  
gunt, & quadam superbia appetunt functiones su-  
periores. pauciores uero expectant à Deo auxi-  
lium. ideo multi egent, & cum egestatem ferre  
non possunt, sollicitudine ac dolore tabescunt, aut  
confugiunt ad malas artes, assentationes aulicas,  
fraudes, furtiua, iniustas negociationes. Item tantus  
dolor est leuiter labefactata opinione, ut multi  
mortem sibi consciscant, ut Ajax, Etsi aut tanta est  
rerum corporalium cura, tamen interim mens in  
hac cor-



## DOMINICA NONA

hac corruptione nature non angitur de gloria Dei, de iudicio Dei, de nostris peccatis, de uita eterna. Non uidet quid sit peccatum & ira Dei, sed dormit quendam horribilem ueternum.

Hanc securitatem & negligentiam hic figurate significat Christus, proponens imaginem Oeconomi. Estq; in ipsa appellatione Oeconomi proposita significatio magnæ rei, quasi diceret Christus: Vos homines estis Oeconomi Dei, uobis administratio rerum eternarum commendata est, hanc totam prorsus negligitis. Porro hæc ipsa securitas descripta est in prima contione in genesi: Peccatum tuum quiescet, donec reuelabitur, id est, Mundus securus contemnet peccatum, non sentiet irasci Deum, donec illa ira reueletur in pœnis huius uitæ, & eternæ, ut Nero securissime ridet Deum, donec rapitur ad pœnas. Quod igitur laudatur diligentia Oeconomi, sciamus non laudari diligentiam in furto, sed proponi collationem, in qua non necesse est omnia similia esse, & admoneri nos alterius cuiusdam Oeconomie rerum eternarum, & turpissime negligentie, quam committimus in ea Oeconomia.

### DE SECUNDO.

**P**RÆceptum mandat, ut recte utamur facultatibus, cum iubet facere amicos, Christum & sanctos,



## POST TRINITATIS. 57.

Et sanctos de diuitijs. De hoc legitimo usu alias sepe dicitur, quod uidelicet utendum sit diuitijs, ad propriam necessitatem. deinde ad iuuandos Euangelij ministros. Tertio ad Rempubicam. Quarto ad pauperes uere egentes, Et presertim ad membra Christi. Et nota est regula: Fontes tui deriuentur foras, Et tu Dominus maneto. Et nota sunt exempla, Abdia, qui pauit Prophetas in spelunca, Et uidua Sareptanae &c. Et Lex ipsa monstrauit hunc ordinem, iussit dari primitias Et decimas Sacerdotibus, ad conseruationem ministerij. Item conferri siclum ad tabernaculum, Item dabantur quinta regibus, erant relinquenda Spicilegia pro pauperibus.

### DE TERTIO.

**E**Saias inquit detestari Deum uictimas ex iniuste partis oblatas. Esa. 6. Ego Dominus diligens iudicium, Et odio habens rapinam in holocaustum. Nequaquam igitur hoc uult Christus, dandas esse eleemosynas, ex iniuste partis. Sed loquitur Christus de diuitijs sanctorum. Has quoque uocat mammonam iniustum, non quod sint iniuste parte, non quod contra conscientiam occupate sint, sed propter abusus multiplices, qui in hac infirmitate humani generis sequi solent, ut in aulis, quantum est abusu in facultati



## DOMINICA NONA

cultatibus, quàm multæ inanes profusiones? Denique hæc corrupta natura in nullo præcepto Dei seruat ordinem. ut magna est ἀταξία in amore parentū erga liberos, & rursus maior ἀταξία in amore liberorum erga parentes. Magna ἀταξία est in consuetudine coniugali, ita multo maior ἀταξία est in usu diuitiarum, Sed hæc infirmitas condonatur pijs, qui iuste partis bona conscientia mediocriter fruuntur, & mediocriter inde alios iuuant, nec accersunt sibi insignes abusus contra conscientiam. Intelligamus igitur uocari iniustum Mammona, etiam Sanctoꝝ facultates, quia etiam Sancti retinent aliquos abusus, propter infirmitatem huius corruptæ naturæ, quam sequitur multiplex ἀταξία contra oīa præcepta.

### DE QVARTO.

**P**ROMISSIO addita est præcepto de ueris elemosynis, ut alibi: Date, & dabitur uobis. ita hic: Facite uobis amicos de mammona iniusto, ut recipiant uos in æterna tabernacula. Hic concurrunt duæ quæstiones. Num sancti recipiunt? & num propter opera nostra recipimur? Explicatio facilima est pijs. Duæ συνοδοὶ sunt. Sancti recipiunt, id est, Christus & Ecclesia. Christus tanquam redemptor & donator salutis. Ecclesia tanquam testis, celebrans datum, beneficium per  
hunc



POST TRINITATIS. 58.

hunc liberatorem, & agens gratias Deo remuneranti. Vt Christus recipit Constantinum, qui defendit Ecclesiam. recipiunt & sancti, uidelicet testificantes de hac defensione, agentes Deo gratias, & quod defenderit Ecclesiam per istum, & quod uicissim hunc æterna gloria ornet. Econtra Christus damnat Diocletianum seuientem. damnat eum & Ecclesia suo testimonio, prædicans iustum iudicium Christi. Ita coniungetur uox Christi, & uox Ecclesie, quia gloria sanctorum conspicietur ab uniuersa Ecclesia. Et cum facta sanctorum in hac uita sunt spreta aut damnata, intueamur totum illud iudicium Christi, Angelorum, & Ecclesie. Et sciamus in illo iudicio reuelandas esse nostras uoluntates, & futurum ut recte facta æterna uoce Dei, Christi, Angelorum, & Ecclesie probentur & celebrentur.

Venio ad secundam συμμετρίαν, an recipiamur propter nostra opera. Breuis est responsio. in omnibus contionibus de bonis operibus, necesse est complecti fidem prælucentem, & credentem, quod hæc obedientia placeat propter mediatorem, iuxta illud: Per quem habemus accessum ad Deum. Deinde æterna tabernacula intelligantur tabernacula Ecclesie, in hac uita, & post hanc uitam. Et fatendum est hæc officia sanctorum mereri ingentia premia, in hac uita, & post hanc uitam.

h ij Sareptana



## DOMINICA NONA

Sareptana mulier excipiens Eliam recipiebatur ab eo in aeterna tabernacula, id est, primum in Ecclesiam adducta est uoce & ministerio prophetae, à quo didicit doctrinam de uero cultu Dei. Deinde mulieri credenti & pascenti Prophetam, Deus propter hanc pietatem, & propter Prophe tam, multipliciter benedicit, dat incrementum fidei, uictum in tanta difficultate annonae, filij mortui resurrectionem. Denique mulier socia est bonorum, quae Deus passim Ecclesiae impertit. Sic Onesiphorus recipiens Paulum recipitur in aeterna tabernacula, id est, consequitur agnitionem Euangelij, & quia iuuat Paulum, & alios pios, uicissim à Deo defenditur.

Ita semper qui sincero affectu iuuant Ecclesias, recipiuntur in aeterna tabernacula, id est, consequuntur agnitionem Euangelij, & uicissim iuuantur, reguntur & defenduntur à Deo. nec dubium est, propter Ecclesias seruari aliquas ciuitates seu politias, quia oportet aliquod esse quasi diuersorium Ecclesiae, sicut inquit Esaias: Reges erunt nutritores tui, & reginae nutrices. ibiq; hospites pij fruuntur societate bonorum praesentium & aeternorum. sicut nauigantes cum Paulo seruantur, & nauis tantisper seruatur, donec functa est suo officio. & uerum est, pia officia mereri premia in hac uita, & post hanc uitam, sicut  
Christus



## POST TRINITATIS. 59.

Christus inquit: Amen dico uobis, non perdet mercedem suam.

### DE QUINTO.

**V**Tilis Regula in fine addita est: Fidelis in paruo, erit in magno fidelis. Hoc dictum utroque modo intelligatur, de debito, & de premijs. Debitum est, ut in qualibet uocatione siue parua, siue magna agnoscamus officium esse diuinum, & in timore & fide administremus. Dauid in uocatione militis agnoscit officium esse diuinum, & propter Deum recte administrat, ergo multo magis postea regiam uocationem intelligit officium esse diuinum. Sed mundus diuerso modo iudicat, leuiores negligentius agit, sicut uulgo milites abutuntur militia ad barbaricam licentiam, cum requirat Deus, ut agnoscamus ab ipso regi & iudicari summas & imas uocationes. Ergo in hoc dicto præcipitur, ut uoluntatem Dei consideremus. Secundo de premijs etiam intelligatur dictum: Habenti dabitur, & a non habente etiam quod habet, auferetur. Qui bene utitur donis Dei, meretur incrementa, ut Augustinus dixit: Dilectio meretur incrementum dilectionis, uidelicet, si exerceatur.

b iij

DOMI.